BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXVII
E
36
NAPOLI
BIBLIOTECA NAZ.
XXVII
E
36
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ܐܘܨܪܐ ܕܠܫܢܐ ܣܘܪܝܝܐ

LEXICON SYRIACUM

A B

ANTONIO ZANOLINI J.U.D.

IN SEMINARIO PATAVINO

LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORE

COLLECTUM,

Voces omnes, quæ in Novi Teſtamenti Translatione Syriaca inveniuntur, complectens.

Accedit ejuſdem Auctoris Diſputatio de Lingua Syriaca, Verſionibus Syriacis, & de Maronitis, quibus præcipue nunc Lingua Syriaca in uſu eſt.

AD USUM EJUSDEM SEMINARII.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXLII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

ANTONIUS ZANOLINI

FELICITATEM.

LExico Hebraico decem abhinc annis a me publici juris facto alterum Syriacum adjungo, ut juventus Seminarii Patavini in Linguis Orientalibus inſtituenda mihi concredita habeat, unde poſſit Sacrarum Litterarum Verſiones Syriacas intelligere, proprioque Marte ipſarum

Digitized by Google

germanum, intimumque ſenſum introſpicere: Quemadmodum autem illud Hebraicum in tutelam ſe contulit CLEMENTIS XII. PONTIFICIS MAXIMI, DECESSORIS TUI; ſic hoc Syriacum TIBI, BEATISSIME PATER, ſe ſuppliciter ſiſtit, & ut in Auguſti Nominis, & Numinis TUI clientelam, & fidem recipiatur, implorat. Porro cum, qua longe, lateque patet terrarum Orbis, una & conſtanti omnium voce propter egregias, & inſignes virtutes TUAS PONTIFICE MAXIMO plane dignas fama ingens increbuerit, in TE Chriſtianæ Reipublicæ maximum præſidium ſimul, & ornamentum ſitum eſſe, & TE, quæ intra domeſticos parietes ſtudio, & exercitatione comparaveras, ad publicam utilitatem, & emolumentum egregiis, & eximiis OPERIBUS TUIS in dies in apricum proferre, ſingulari quodam Divino munere factum ſentio, ut TE potiſſimum, talem ac tantum PONTIFICEM, habere hujus Operis AUSPICEM poſſim, & SANCTITATIS TUÆ pedibus advolutus ſummæ venerationis meæ te-

ſti-

ſtimonium, qualecumque hoc ſit, exhibere, ſatis certe commendatum TIBI ob id ipſum, quod nullum litterarum genus magis diligis, ac foves, quam quod ad ſartam tectam Religionem ſervandam, vel propagandam pertineat. Profecto quamquam me non latet, vigilantiæ, & ſolertiæ tuæ penitus explorata, & perſpecta eſſe, quæ ubicumque locorum ad Eccleſiæ utilitatem geruntur; tamen ex multis teſtimonium iſtud proferre placuit, ex quo EPISCOPI noſtri JOANNIS ARCHIEPISCOPI MINOTTO OTTHOBONI ſollicitudinem in ſuſtinendo munere longe graviſſimo conjiceres, ejuſque admirandam providentiam, & curam in comparandis, vel promovendis omnibus, quæ provinciam ſibi traditam juvent, ex parte cognoſceres. Ubi enim Patavinæ Eccleſiæ clavum ſuſcepit, eo cogitationes omnes, atque curas contulit, ut munere Epiſcopali exactiſſime fungeretur, quæque ipſe ob magnitudinem, & varietatem ſolus præſtare non poſſet, per graviſſimum, & ſapientiſſimum Virum Vicarium

 ſuum

ſuum SANCTEM VERONESIUM perficeret. Itaque cum uterque, communicatis inter ſe conſiliis, plane intelligat, nihil magis ad populorum felicitatem, rectamque vivendi rationem conferre, quam ſedulam juventutis inſtitutionem, Seminarium ſuum unice diligunt, & cogitationes omnes eo intendunt, ut adoleſcentes optimis inſtitutis, ac litteris informentur. Norunt probe, locum iſtum ſummæ curæ fuiſſe litterarum noſtrarum Divino prope parenti VENERABILI GREGORIO CARDINALI BARBADICO, & ab eo HIERONYMI CARDINALIS CASANATÆ conſilio non ſolum Latinas, & Græcas litteras, ſed omnes etiam Orientis Linguas in Patavinum ſolum translatas, & Patavina civitate donatas; norunt, recens ſatas ab ejus Optimis Succeſſoribus lætius a ſtirpe excitatas fuiſſe, & inſigni in eas, earumque cultores beneficentia ad maturitatem perductas. Sed cum pro ſua ſapientia cognoſcant, non omnia ab omnibus præſtari poſſe, noſque videant cogi ab iis ſubſidia, & adjumenta ad has Linguas

guas

Digitized by Google

guas addiſcendas petere, qui plerumque ex ipſis Fontibus Sacros Divini Eloquii latices impuris labiis ebibunt, quique tenebras veritati offundere, & germanum Sacrarum litterarum ſenſum detorquere conantur, mihi ſtimulos addiderunt, atque adeo juſſerunt, me Lexicon tum Hebraicum, tum Syriacum publico conſpectui committere, ut facilius, & tutius liceret cuilibet intimum Sacræ Scripturæ ſenſum, ipſamque Spiritus Sancti mentem aſſequi. Quamobrem, SANCTISSIME PATER, laudabilem hanc ſolertiſſimi EPISCOPI, ejuſque VICARII voluntatem æqui bonique conſule, & fac, ut omnes intelligant, defuturos, ut ita dicam, potius clientes TIBI, quam TE PATRONUM iis, qui pro ſuo ingenio, & facultate bene mereri conentur de Chriſtiana Republica, quæ incredibili tua vigilantia, ſapientia, fide, dexteritate feliciſſime adminiſtratur.

Ex Seminario Patavino Idibus Julii MDCCXLII.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

D*Ivino Numini gratias quam maximas habendas eſſe, nobiſque non mediocriter gratulandum exiſtimo, quibus dedit ea tempeſtate vivere, qua ad Sacrarum Litterarum exactam, perfectamque intelligentiam nihil prorſus deſideretur. Jamdiu enim excuſſæ ſunt plus quam Cimmeriæ illæ tenebræ, quæ totum Chriſtianum orbem miſere occuparant, ac pæne obruerant; abierunt illa tempora calamitoſa, quibus* Græcum aliquid noſſe, fuiſſe ſuſpectum, Hebraice autem, prope hæreticum *memoriæ proditum eſt. Nihil jam eſt intentatum relictum, quod ad Sacras Litteras illuſtrandas pertineat; inſtauratæ pæne omnes Orientis Linguæ, explorata Judæorum monumenta; antiqui moris cognitio renovata, quæque vel vetuſtate, vel temporum injuria interciderant, in priſtinum ſtatum omnia reſtituta. Deſiderabatur Lexicon Syriacum, cujus ope puriſſimi Sacrarum Litterarum latices facilius, & tutius poſſent in nos derivari; quod ego opus aggreſſus nulli labori parcendum putavi, ut in hoc quoque litterarum genere tantum præſidii ſuppeteret, quantum ſatis eſſet ad ea cognoſcenda, quæ Divinis illis fontibus continentur. Sibi igitur in poſterum culpæ tribuat, qui, cum tot adjumentis, atque ſubſidiis abundet, admirandam ſtyli Scripturarum profunditatem, peculiaria dictionis genera, locos difficiliores, atque obſcuriores quodam negligentiæ quaſi veterno occupatus penitus aſſequi nolit. Quæ enim, malum, dementia eſt, cum Fontem*

ipſum

Digitized by Google

ipſum adire poſſis, ad Interpretes potius confugere, quorum alii tamquam cæci de coloribus judicant, alii de induſtria in Sacram Scripturam violentas manus injiciunt, alii pernicioſorum Dogmatum probationes ex ea deſumunt, alii profanarum rerum teſtimonio Sacra corrigunt, alii denique pro arbitrio ad alia quælibet malitioſe dilabentes mentem Spiritus Sancti, genuinam Sacræ Scripturæ interpretationem detorquent? Difficile quidem, non inficior, Linguarum ſtudium eſt, neque omnibus ingeniis accommodatum, nonnulliſque propterea deſpectui habitum; has tamen Linguas, ſi ſerio perpendas, gemmis venuſtiſſimis comparaveris, quæ quamdiu abditæ latent conchæ tegumentis, atque involucris, quia neque pulcritudinem, neque nitorem oſtentant, a multis negliguntur; e concha vero eductæ illuſtri ſplendore omnium animos capiunt, commovent, & in ſui admirationem pertrahunt vel invitos. Harum pretium ſenſere Pontifices Summi Clemens V., Gregorius XIII., Paulus V., qui in Academiis, & Collegiis Linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Græcæ Profeſſores publice alendos decreverunt, ut contra Judæos, & Heterodoxos firmiſſimum tutamen, & præſidium exiſterent. Itaque tot tamque acribus ſtimulis incitatus, in Linguarum Orientalium curam, Benigne Lector, impenſius incumbe; & hunc qualemcumque laborem meum laboris tui minuendi gratia ſuſceptum ita demum amplectere, ut tua approbatione, atque ſtudio poſſim ad alia tibi comparanda adjumenta in poſterum invitari. Vale.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *Fra Paolo Antonio Ambrogi Inquiſitore di Padova*, nel Libro intitolato : *Lexicon Syriacum ab Antonio Zanolini in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Lectore collectum*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Dicemb. 1741.

(
(Alviſe Mocenigo II. Rif.
(Zuane Querini Proc. Rif.

Reg. in Lib. a car. 21.

Agoſtino Bianchi Segretario.

Adi 17. Dicemb. 1741.
Reg. nel Mag. Ecc. contro la Beſtemmia.

Franceſco Legrenzi Segretario alla Beſtemmia.

Digitized by Google

ANTONII ZANOLINI
DISPUTATIO
DE LINGUA SYRIACA,
VERSIONIBUS SYRIACIS,
ET MARONITIS,

quibus nunc Lingua Syriaca præcipue in uſu eſt.

DE LINGUA SYRIACA.

Unde nomen traxit Lingua Syriaca?

℟. A Syris populis Linguæ Syriacæ nomen inditum eſt, qui a Tyro eorum metropoli Hebraice צור dicta ita ſunt nuncupati. Juxta varias autem regiones, & gentes, quibus fuit vernacula, variis appellata eſt nominibus. Hinc Aramæam, Aſſyriacam, Babylonicam, Chaldaicam, atque Hebræam dictam reperies, Maroniticam a Maronitis, Antiochenam ab Antiochenis, tandem a Comagene poſtrema Syriæ regione Comagenam. Hodie ea appellatur proprie Lingua Syriaca, qua antiquiſſimæ Veteris, & Novi Teſtamenti Verſiones exaratæ ſunt.

Nunc temporis quibuſnam præcipue eſt in uſu?

℟. Maronitis montem Libanum, & oppida Syriæ minora incolentibus, & Sacra ſua eadem lingua peragentibus. Romæ a Gregorio XIII. Collegium eſt iis conſtitutum, quod deinde Sixtus V. redditibus auxit, ut inde Sacerdotes, & Epiſcopi doctiores, & inſtructiores in patriam redirent. Maronitæ autem a Marone Abbate viro ſanctiſſimo nomen ſuum ſortiti ſunt. Eorum Legatus Concilio Lateranenſi interfuit ſub Innocentio Tertio, religionemque Romanam edoctus in patriam invexit, quam conſtanter ad hanc diem licet Infidelibus ſubjecti ſervant, liberum ejus uſum pecunia redimentes. Cæterum ubique fere in tota Aſia, & Africa Chriſtiani eruditioni, & litteris operam dantes Syriacam Linguam intelligunt. In *Bſciarrai* tamen, & in oppido *Heſron* dicto non procul ab ea ſito, & in tribus aliis vicis, ac pagis illi proximis viri, ac mulieres vulgo, ac familia-

Digitized by Google

liariter Syriaca Lingua loquuntur. In tota enim Phœnicia poſt Saracenorum in eam ingreſſum Syriacum idioma vernaculum populo eſſe deſiit, & Lingua Arabica familiaris omnibus eſſe cœpit, retenta tamen Lingua Syriaca in Sacris obeundis, Officiiſque Divinis recitandis.

Quot ſunt Linguæ Syriacæ Dialecti?

℞. Tres: prima Babylonica omnium puriſſima Danieli, & Eſdræ in captivitate vernacula, Danielis cap. 4. dicta ארמית *Aramæa*: altera Hieroſolymitana, ſive Judaica Judæis reducibus a captivitate familiaris, qua Targumin, ſive Paraphraſes OnKelos, & Jonathan exaratæ ſunt: tertia Antiochena, Comagena, vel Maronitica hodie Chriſti fidelibus in Oriente propria. Gregorius Abulpharagius Palæſtinam, & Antiochenam ſub una, eademque Dialecto complectitur apud PocoKium in notis ad Hiſtoriam Arabicam pag. 360. *Diſtinguitur*, inquit, (Lingua Syriaca) *in tres Dialectos, quarum elegantiſſima eſt Aramæa, quæ eſt lingua incolarum Rohæ, & Syriæ exterioris: proxima illi eſt Palæſtina, quæ eſt ea, qua utuntur Damaſci, & montis Libani, & reliqui Syriæ interioris incolæ: at omnium impuriſſima Chaldaica Nabatæa, quæ eſt Dialectus populi montium Aſſyriæ, & pagorum Eraci*. Hieroſolymitanæ autem, vel Judaicæ Dialecti plures rurſus Dialectos fuiſſe colligitur ex Evangelio, ubi dicitur Petrus Galilæus proditus ex ſermone. Magis enim agreſtem, ac rudem fuiſſe Dialectum Galilæam, quam Hieroſolymitanam, Joannes Buxtorphius Pater in dictione גליל ſcriptum reliquit.

Quid confert Lingua Syriaca?

℞. Ad Evangelia penitus intelligenda admodum neceſſaria eſt Lingua Syriaca, cum in iis multa verba pure Syriaca inveniantur, & ipſa conſtructio, ſenſuſque Evangeliorum ſæpe Syriaiſmum redoleat. Præterea cum magna inter Syriacam, & Hebraicam Linguam affinitas intercedat, & Syrus Interpres cæteris Verſionibus arctius textui Hebraico inhæreat, magis emphaſis, & proprietas Linguæ Hebraicæ per Verſionem Syriacam apparet, ipſique Hebraici idiotiſmi per eam clarius elucent. Hinc Ludovicus de Dieu in præfatione ſuæ Grammaticæ. *Ipſarum phraſium, quæ paſſim in Novo Teſtamento uſurpantur, verus ſenſus vix aliunde, quam ex Syriaco petendus eſt. Phraſim enim Evangeliſtarum, & Apoſtolorum Græcam eſſe nemo dixerit, & facilius Europæis foret, Platonis, Ariſtoteliſque elegantiam imitari, quam Platoni, vel Ariſtoteli Novum Teſtamentum nobis interpretari; quia Sancti viri Syriace conceperunt, quæ Græce ſcripſerunt, & linguæ vernaculæ emphaſim peregrinis verbis indiderunt*. Jure itaque Jacobus Martinus editionem Syriacam his verbis extollit. *Ad hanc ſolam, quando in fontibus Græcis quædam occurrit obſcuritas, vel difficultas, tuto acceditur; hæc ſola, quando de loci alicujus interpretatione, & verſione dubium movetur, tuto, ac ſine errore conſulitur; per hanc ſolam Græcus textus vere illuſtratur, recte intelligitur. Hujus enim ſolius auctoritas proxime ad ipſorum fontium majeſtatem accedit. In genere Novum Teſtamentum Syriacum eſt valde utile*.

Quæ-

Quænam dignitas Linguæ Syriacæ?

℞. Præterquamquod Syrorum Lingua Hiſtorica, Mathematica, Philoſophica, Theologica innumera, omnino omnes fere artes, ac diſciplinæ ſunt exaratæ, ejus amplitudo, & dignitas ex eo creſcit, quod Chriſti Salvatoris noſtri ore eſt conſecrata, cum ipſam a matre cum lacte ſuxerit, ipſaque ad preces Deo offerendas, myſteria terrarum orbi abſcondita aperienda, & præcepta tradenda uſus fuerit. Hinc Widmanſtadius in Præfatione Novi Teſtamenti Syriaci ait; *hanc linguam Redemptoris noſtri ortu, educatione, doctrina, miraculis, Corporis, & Sanguinis ſui confectione Euchariſtica, ac Patris etiam Æterni voce bis e Cœlo ad eum emiſſa conſecratam fuiſſe.*

Lingua Syriaca eſt ne eadem, ac Chaldaica?

℞. Linguam Chaldaicam, & Syriacam eamdem eſſe ex multis Sacræ Scripturæ locis colligitur, in quibus eodem nomine utraque appellatur. Cum autem diſcrimen inter illas ſit in vocum terminatione, flexione, aliiſque parvi momenti, liquet, eas diverſas Dialectos eſſe, non autem diverſas Linguas, cum in rebus præcipuis conveniant. Sic Dialecti Jonicæ, Doricæ, Atticæ, Æolicæ non poſſunt non dici Linguæ Græcæ, licet aliqua ex parte a Lingua Græca communi differant. De Lingua Chaldaica, & Syriaca hæc habet Ludovicus de Dieu in Præfat. in comparat. trium linguarum. *Chaldaicam voco, quæ in Daniele, Eſdra, & Targum Jonathanis, Onkeli, & Joſephi Cæci continetur. A Syriaca eam diſtinguo, quia ſic ab aliis fieri ſolet, & non raro phraſi, & flexione ab ea differt, alioquin eamdem eſſe Linguam fateor Chaldaicam, & Syriacam, quomodo & Danielis* cap. 2. v. 4. *Chaldæi dicuntur Regem* ארמית, h. e. Syriace *allocuti, nec differret quidquam ab illa, niſi Judæi, inter quos Daniel, & Eſdras, in Babyloniam traducti de ſua lingua Chaldaicæ miſcuiſſent. Inde dialectus Linguæ Syriacæ nata eſt, quam Chaldaicam dicimus, quia in Chaldæa nata, & inde Judæis reducibus in Palæſtinam tranſvecta.* Joſephus autem Scaliger epiſt. 449. lib. 4. ſcribit. *Lingua Syriaca tam pro genere uſurpatur, quam pro ſpecie. Nam Chaldaica, & Syriaca unius Syriacæ Linguæ nomine comprehenduntur, ut apud Juriſconſultos Adoptio comprehendit ſpecies Arrogationem, & Adoptionem, Cognatio Agnationem, & Cognationem. Igitur Lingua Syriaca non ſolum dicitur ea, qua Syri, ſed etiam, qua Chaldæi uſi ſunt, & in genere Judæis lingua dicitur Aram. Syriaſmi multæ fuerunt propagines, ſed illa omnium nobiliſſima Syriaca Dialectus, qua Vetus, & Novum Teſtamentum conſcriptum eſt, quæ & elegantiſſima, & puriſſima. Tempore Chriſti ea in tractibus Antiochiæ, Celoſyriæ, & Meſopotamiæ in uſu erat. In Galilæa alia dialectus, & in aliis partibus aliæ, quæ omnes uno nomine Aram comprehenduntur. Qui Apoſtolos ea uſos dicunt, falluntur. Apoſtoli ad Judæos verba cum faciunt, Judaico Syriaſmo, ad alias gentes alia dialecto utebantur. Nam lingua Chriſti Galilæa non eadem cum ea, qua Maronitarum, & Neſtorianorum libri hactenus conſcripti ſunt.*

Digitized by Google

Omnes ne Linguam Syriacam Chriſto, & Apoſtolis vernaculam, ac familiarem fuiſſe concedunt?

℞. Hac de re varia, & multiplex eſt Auctorum ſententia, aliis aliam linguam Chriſto, & Apoſtolis vernaculam fuiſſe exiſtimantibus. Nos Dialecto Syriaca Hieroſolymitana Chriſtum, & Apoſtolos uſos fuiſſe aſſerimus; quod colligimus ex verbis Chriſti Domini in Cruce prolatis idioma purum Syro-Chaldaicum ſonantibus: אלי אלי למה שבקתני, *Elì*, *Elì làmma ſabbactàni*. Maronitica enim Dialecto, ſicuti videre eſt in Bibliis Syriacis, diceretur ܐܝܠ ܐܝܠ ܠܡܢܐ ܫܒܩܬܢܝ *Il Il lemòno ſebactàni*. Idem probant verba Syriaca quam plurima ab Evangeliſtis retenta, quæ cum illis, quæ in textu hodierno ſunt, vel conſonis, vel vocalibus, vel utriſque non conveniunt. Grotius autem putat apud D. Marcum legi ܐܠܗܝ *Elhòi*, quia deſcribentibus Evangelium magis fuerit notum ܐܠܗܝ *Elhòi* Antiochenum, quam ܐܝܠ *Il* Maroniticum; quod deinde errore Scribarum pro ܐܠܝ *Elì*, vel ܐܝܠܝ *Ilì*, litteris tranſpoſitis, in D. Matthæi Evangelium irrepſerit, ſicuti ex ejus interpretatione *Deus meus* cum affixo primæ perſonæ non immerito licet arguere. Cum autem lingua vulgaris Hebræorum tempore Chriſti Chaldaica, & Hebraica verba commixta habuerit, factum eſt, ut D. Epiphanius Hæreſi 69. ſcripſerit, *Chriſtum* ſupra citata verba *partim Hebraice*, *partim Syriace protuliſſe*.

Evangelium D. Matthæi eſt ne ſcriptum Lingua Syriaca?

℞. Licet Origenes, D. Hieronymus, Auguſtinus, & alii Hebraicis litteris, verbiſque D. Matthæi Evangelium compoſitum fuiſſe dicant, nomine tamen Linguæ Hebraicæ Linguam Syriacam Hieroſolymitanam intelligunt; Hebraicam autem vocant, quia Hebræis tunc temporis erat familiaris. Hoc autem Evangelium ſecundum Matthæum, licet charactere Hebraico ſcriptum, Syriaca tamen lingua Judæis vernacula exaratum fuiſſe, præter alios recentiores Hugo Grotius luculentiſſimis verbis in Matthæi cap. 1. ſcriptum reliquit, & de eo ita ſenſit. *Evangelium ſuum S. Matthæum Hebraice, h. e. Syriace ſcripſiſſe ita conſtanter apud veteres, quibus de hac re veritas melius, quam nobis, innoteſcere poterat, traditum eſt, ut nullus plane ſit dubitandi locus. Non enim audiendi ſunt, qui ſpurium eſſe volunt, & Patres a Papia deceptos fuiſſe. Nec minus certum eſt, illud, quod a Munſtero primum, & a Mercero poſtea terſius editum eſt, non eſſe Matthæi, ſed a recentioribus quibuſdam Judæis in Hebraicum converſum, quod adeo clarum eſt, ut nullis indigeat argumentis. Sicut autem Marcus uſus eſt Matthæi Hebræo, h. e. Syriaco codice; ita Marci libro Græco uſus eſt ipſe, quiſquis is fuerit, Matthæi Interpres Græcus. Nam quæ Marcus*

ex

Digitized by Google

ex Matthæo deſcripſerat, idem hic iiſdem verbis poſuit, niſi quod quædam a Marco Hebraico, aut Chaldaico loquendi genere expreſſa propius ad Græci ſermonis normam emollivit, de cujus Verſionis ab ipſo Chriſtianiſmi initio per Eccleſias receptæ auctoritate, ac fide dubitare nefas arbitror. At vetus illud Nazaræorum Beroeæ habitantium, quod a ſe conſultum, translatumque fuiſſe tradit Hieronymus, arbitror omnino ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe, quod ab illis conſtantiſſime aſſeveratum fuiſſe tradit idem Hieronymus. Addit Epiphanius (ſed quod non inſpexiſſe apparet) fuiſſe penes ipſos Evangelium Matthæi pleniſſimum, quod aliis argumentis confirmatur. Nam Nazaræi illi erant progenies eorum, qui primi in Palæſtina Chriſti fidem erant amplexi, unde nomen Nazaræorum illis additur, quia Chriſtus Nazaræus vocabatur Actor. 25. 5. ut & illi, qui lingua Græca Chriſtum ſunt amplexi dicti ſunt Χριστιανοὶ *Actor. 11. 26. Addit Epiphanius, hos Nazaræos fuiſſe propaginem eorum, qui divinitus admoniti ſunt Hieroſolymis Pellam diſcedere obſidionis tempore. Quædam tamen a Matthæo non ſcripta, ſed auditu percepta paulatim a Nazaræis aſſuta eſſe probabile eſt, unde diverſitas inter ipſorum Hebraicum, & noſtrum Græcum, ut hiſtoria de Adultera Joan. 8. aliaque dicta Chriſti, quæ apud Ignatium ad Smyrnæos, Hieronymum, Clementem per manus tradita, in Evangeliis tamen non ſcripta, ut Act. 20. 35. Ebionitæ etiam, quorum ut commune cum Nazaræis Evangelium citat Hieronymus, quædam teſte Epiphanio detruncarunt, ut Nazaræi addiderunt. Genealogiam enim Chriſti, & hiſtoriam in Joanne ad baptiſmum Chriſti pertinentem a Joanne deleverunt, in hoc ſimiles Marcionitis, qui Evangelium Lucæ cum Catholicis commune habuerunt paucis mutatis, quæ Marcioni non arridebant. Nazaræi vero in hoc ſolo a reliquis Chriſtianis diſcreparunt, quod ritus Judaicos obſervabant ex antiqua conſuetudine, quam Apoſtoli pro tempore toleraruut. Unde ab Irenæo inter Hæreticos non numerantur.* Porro ex his, aliiſque ſimilibus doctiſſimus vir cenſet inferendum, Hebraicum illud Nazaræorum Evangelium, de quo ſæpe a D. Hieronymo mentio fit, eſſe idem, ac Evangelium Ebionis, ſed, ut rectiſſime judicavit Gelaſius, ab Ebione corruptum, & inquinatum.

Quare Antiochenorum, ſive Maronitarum character a Chaldaico charactere diverſus eſt?

℟. Eadem lingua utrique utentes ea de cauſſa diverſum habent characterem, ut Chriſti fidelium Antiochenorum Evangelium ab Evangelio Nazaræorum, & Ebionitarum Chaldaicis litteris exarato diſtinguatur, nihilque ſit Antiochenis cum illis Hæreticis commune; qua in re Eſdram imitati ſunt, qui poſt reditum e Babylone characterem Samaritanum mutavit in Aſſyriacum, ne ulla re Hebræi cum Cuthæis, & Samaritanis conjungerentur.

Litterarum Syriacarum quot ſunt ſpecies?

℟. Apud Eccleſiam Antiochenam, & Chriſtianos Neſtorianos, & Ma-

Digitized by Google

ronitas duæ litterarum ſpecies ſunt in uſu, nimirum *Majuſculæ* dictæ, & *Minuſculæ*. *Majuſculæ*, quæ eædem *Capitales*, & a Typographis *Eſtrangelæ* vocantur, a Syris in librorum titulis, & inſcriptionibus adhibentur. A Samaritanis eas derivatas fuiſſe, parva mutatione facta, opinatur Joſephus Scaliger. *Minuſculæ* vero, quas *Practicas*, & *Curſivas* appellare ſolemus, communiter in libris impreſſis, & MSS. uſurpantur, quas a *Majuſculis* fuiſſe deſumptas nemo ambiget, qui eaſdem inter ſe contulerit.

Cum de Nazaræis mentionem feceris, cedo, Naziræi, & Nazareni, ſive Nazaræi iidem ne erant?

℞. Toto cœlo utrique inter ſe diſtabant. Naziræi enim ita dicti, quia vel propria voluntate, & voto, vel Dei præcepto a cæteris hominibus vivendi diſciplina erant ſeparati; Nazareni autem, quia ab urbe Nazareth originem trahebant. Quapropter ex eo, quod D. Paulus Actor. 24. v. 5. peſtis, & princeps Nazarenorum per contemptum dicitur, non eſt inferendum, Chriſti fideles Nazarenos eo loci appellatos, quaſi ſectam aliquam, & ſocietatem peculiari quadam vitæ ratione conſtituerent; ſed tantummodo, quod eſſent a Nazareth. Quamquam progreſſu temporis Nazarenorum nomen impoſitum eſt Moſem, & Chriſtum, Legem, & Evangelium, Baptiſmum, & Circumciſionem eodem vinculo connectentibus, & cum Evangelio Leges ceremoniales religioſe admodum, & exacte obſervantibus. Contra hos ab Apoſtolis celebratum Concilium Actor. cap. 15. in quo neque Circumciſionem, neque cætera legalia neceſſario ſervanda eſſe decreverunt.

Affer diverſam aliorum Auctorum de Nazaræis Hæreticis opinionem.

℞. Nonnulli cenſent, Nazaræos in omnibus Judæorum leges ſervaſſe, Circumciſionem ſubiiſſe, Sabbatum, & reliqua feſta celebraſſe, victimas tamen non mactaſſe, neque animalia comediſſe; Patres accepiſſe, de quibus mentio in libris Moſis, ipſos autem libros Moſis rejeciſſe; Moſem extitiſſe, Legemque a Deo ipſi traditam pro certo habuiſſe, ſed ab ea variam, ac diverſam, quæ hodie Moſis nomine circumfertur.

Syri habuerunt ne antiquitus puncta vocalia?

℞. Nequaquam. Syros enim olim vocales ignoraſſe aperte colligitur ex Elia in Maſ. Hammas. Præfat. ita ſcribente: *cum Romæ eſſem, ecce tres viri ex regno Presbyteri Joannis* (intellige Regem Abyſſinorum, qui vulgo per errorem *Presbyter Joannes* vocatur) *quos Papa Leo X. accerſiverat, qui cognitionem habuerunt ſcripturæ, ac linguæ Chaldæorum. Lingua enim eorum vulgaris erat Arabica. Lingua autem propria, in qua tranſcripti ſunt ipſorum libri, in qua etiam habent totum Evangelium Chriſtianorum, erat Chaldaica, quam etiam vocant Aramæam, Babylonicam, Aſſyriacam, Chaldaicam, Syriacam, Targumicam. Papa eos advocaverat, ut ex eorum libris*
codi-

codicem Evangelii Latina lingua conſcriptum caſtigaret. Eo tempore vidi Pſalterium in manibus eorum Syriace ſcriptum, & Syriace explicatum, i.e. ſcriptum litteris Syriacis, quarum pronunciatio, & forma valde erat affinis linguæ Hebrææ, cumque viderem, quod legerent ſine punctis, interrogavi eos, dicens. An ne habetis puncta aliqua, ſigna, vel indicia, quæ ſint vobis loco vocalium? Reſpondebant, ſe non habere. Quia autem, inquiebant, exercitati ſumus inde a pueritia noſtra in hac lingua, idcirco eam abſque punctis legere novimus. Juxta opinionem autem Gabrielis Sionitæ Maronitæ, & aliorum antiquis temporibus apud Syros literæ ܐ ܘ ܝ omnium vocalium vicem ſuppleverunt, ut etiam apud Arabes antiquos. Porro punctum unicum adhibebant ad ſignificationem ambiguam tollendam, quod ſupra litteras poſitum indicabat vocales breves *a*, *o*, & *u*, infra vero *e*, ſub Vau collocatum *u* longum, & ſub Judh *i* longum ſignificabat. Cæterum primus omnium, qui Verſionibus Syriacis vocales, & Latinam Interpretationem adjecit, fertur fuiſſe ſupra citatus Gabriel Sionita, cujus præcipue opera, & ſtudio uſus eſt Michael de Jay in eximio, ac vere Regio opere ſuo Heptaglotto Pariſienſi edendo, ob quam editionem immortales quidem Gabrieli eidem agendæ gratiæ, ſed cum in illa errores non pauci occurrant tum ob lacunas codicum, quos adhibuit, quaſque ex proprio ingenio ſupplevit, tum ob Verſionem Latinam non ubique Syriacæ adamuſſim, & exacte reſpondentem, tum ob Typographorum oſcitantiam, meliorem admodum eruditi omnes alteram Briani Waltoni editionem cenſent corectam non ex propria conjectura, ſed ex antiquiſſimis exemplaribus MSS. & codicibus authenticis apud Syros inventis. Si quæras autem quis fuerit Verſionis Syriacæ *ſimplicis* dictæ auctor, quæ complectitur Pentateuchum, libros Joſue, Judicum, Ruth, Samuelis, Paralipomenon, Proverbiorum, Cantici Canticorum, & Job, fertur auctor Salomon, ita poſtulante Hiramo Tyrorum Rege; cæterorum vero librorum tum Veteris, tum Novi Teſtamenti ſecundum opinionem Gabrielis Sionitæ in Præf. in Pſalmos Syriacos, fuerunt Interpretes D. Thaddæus Apoſtolus, & alii Apoſtoli. Hanc opinionem ſequitur Abraham Ecchellenſis in notis ad Biblia Chaldaica, qui auctor in Bibliotheca Vaticana reperitur. Non ignoro, Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei cap. 4. aſſerere, Syros in ea eſſe opinione, Novi Teſtamenti Verſionem Syriacam factam fuiſſe a Divo Marco Evangeliſta, quæ opinio utrum probanda ſit, infra patebit.

DE VERSIONIBUS SYRIACIS.

Quotuplex eſt Verſio Syriaca?

℞. Quemadmodum primis Eccleſiæ temporibus Sacrarum litterarum duplex Verſio Latina extitit, altera ex ipſo textu Hebraico, altera ex Verſione LXX Interpretum facta; ita duplex Verſio Syriaca reperitur, altera antiqua, & ſimplex a Gregorio Abulpharagio appellata ſine ullo ver-

verborum ornatu, & elegantia ex textu Hebraico tranſlata, eaque Maronitis in Officiis Divinis, & Sacris peragendis eſt in uſu; altera dicta figurata, quæ ex Verſione Septuaginta eſt deſumpta. Hæc vero Verſio Syriaca ex textu Græco tranſlata nuſquam adhibetur, Syris omnibus non modo Maronitis, ſed Neſtorianis, Jacobitis, reliquiſque eorum ſectis alteram, utpote correctiorem, & excellentiorem uſurpantibus, quæ in Bibliis Pariſienſibus, & Polyglottis Anglicanis una cum Verſione Latina reperitur. Syriacæ Verſionis ex Græco deſumptæ nonnullos tantummodo libros ſe vidiſſe teſtatur Maſius in Commentariis in Joſuam; quod idem fatetur Arias Montanus in admonitione ad Lectorem de Syriacis Novi Teſtamenti libris his verbis. *De Syriacis Veteris Teſtamenti libris non adeo laborandum, eo quod ex iis fragmentis, quæ mihi videre contigit, illam Sacrorum librorum partem, non ab Hebraica, & primæva Lingua, ſed ex Græca ab Origene permixta Verſione ad Syros eſſe translatam cognoverim.* Antiquiſſimam hanc, præſtantiſſimamque Verſionem primum publici juris fecit Uſſerius, qui multis impenſis totum Vetus Teſtamentum Syriacum (ſi Pſalmos excipias jam antea typis cuſos) anno 1627. curavit deſcribendum per Joſephum quemdam filium Davidis e libro Patriarchæ Antiocheni in monte Libano, qui liber ea elegantia, & nitore conſcriptus eſt, ut cum pulcherrimis noſtris typographicis facile certare poſſit. De duplici Verſione Syriaca mentionem facit etiam Syrus Scholiaſtes Gregorius apud PocoKium in Hiſtoria Arabica pag. 184. cujus verba Latine reddita hæc ſunt. *Syri Occidentales duas habent Verſiones, ſimplicem iſtam, quæ e Lingua Hebraica in Syriacam translata eſt poſt adventum Chriſti Domini, tempore Thaddæi Apoſtoli; vel juxta alios ante eum tempore Salomonis filii David, & Hirami; & alteram figuratam juxta LXX Seniorum interpretationem e Lingua Græca in Syriacam traductam, & longo poſt Salvatoris incarnationem intervallo.* De hac Verſione Syriaca Veteris Teſtamenti hæc Bootius in Indice Animadverſionum Syriacarum. *Translatio hæc admodum exacta eſt, & fidelis, & Textus Hebraici veſtigiis ubique fere admodum preſſe inſiſtit, exceptis libris Paralipomenon, qui admodum fœde habiti plurima paſſim omiſſa, ſuperaddita, immutata, ac detorta habent, ſicuti & Proverbiorum liber multis in locis a Textu Hebraico longe abit. In ceteris libris magna fide verſatus eſt hic Interpres, ita tamen ut in locis difficilioribus itidem, ac alii Interpretes plerique, a vero ſenſu aberret haud raro, in quorum nonnullis ad Græcam Verſionem interdum ſe accommodat.* Multa tamen, quæ in editione Pariſienſi vel non recte deſcripta, vel omiſſa fuerunt, in Bibliis Anglis Polyglottis ſumma cura, ac diligentia collatis inter ſe variis exemplaribus reſtituta ſunt, & emendata. Porro quod ſolet in pleriſque Verſionibus accidere, in hac etiam contigit, ut alicubi a Textu Hebræo diſſentiat, fortaſſe tum ob codicem Hebræum minus correctum ab Interprete Syro adhibitum, tum ob voces Hebraicas vocalibus deſtitutas, ac propterea ſæpe ancipitis ſignificationis, tum ob dictionum paraphraſim majoris claritatis gratia aliquando ab eodem uſurpatam, tum ob alias ſimiles cauſſas.

Novi etiam Teſtamenti Verſionem in antiquam, & recentiorem dividi

vidi ex eo colligitur, quod in antiqua editione Epiſtolæ Judæ, ſecunda Petri, & ſecunda, & tertia Joannis capite octavo deſiderantur, de quibus initio Eccleſiæ dubitatum, utrum cum cæteris libris Canonicis eſſent recipiendæ. Cæterum quod attinet ad Capitum, & verſuum diviſionem, Syri ab Hebræis differunt. Nam Geneſis apud Syros ex Capitibus 78, & verſibus 4509, Exodus ex Capitibus 44, & verſibus 3626, Leviticus ex Capitibus 19, & verſibus 2454. conſtat, & ſic deinceps, quod ſecus eſt apud Hebræos, quemadmodum facile cuique rem examinanti patere poteſt. Porro quin multi errores in utraque Verſione Syriaca inveniantur, nullus dubitandi locus relinquitur, quos ex inſcitia Scribarum ortos fuiſſe exiſtimat Simeon de Muis in ſua hiſtoria critica Veteris Teſtamenti, qui multas Linguæ Syriacæ litteras inter ſe admodum ſimiles non diſtinxerunt, neque textu Hebraico in deſcribendis exemplaribus Syriacis uſi ſunt.

Quo tempore, & a quibus facta eſt Verſio Syriaca?

℟. Rejecta eorum opinione, qui Salomonis tempore Verſionem Syriacam confectam fuiſſe contendunt, Apoſtolorum temporibus ab ipſorum diſcipulis, vel viris Apoſtolicis translatam ſentimus. Confecta enim eſt, antequam Canon librorum Novi Teſtamenti communi Eccleſiarum conſenſu confirmatus eſſet. Conſtat enim ex Scriptoribus Syris, in ea deeſſe Epiſtolas ſecundam Petri, ſecundam, & tertiam Joannis, Judæ, & Apocalypſim, de quibus diu apud antiquos dubitatum. Neque ad probandum, eam circa tempora Chriſti confectam eſſe, deſunt teſtimonia, cum de ea antiquiſſimi Scriptores Jacobus Syrus, Magnus Ephrem Syrus, D. Chryſoſtomus in Pſalm. 94. Theodoretus in Pſalm. 104. 113. 116. & alii mentionem faciant. Cui tribuenda ſit recentior, incertum eſt, multoque poſt Apoſtolos tempore facta cenſetur.

Quid iis reſpondendum, qui contendunt, D. Marcum Evangeliſtam non modo ſuum Evangelium, ſed cæteros omnes Novi Teſtamenti libros in Linguam Syriacam vertiſſe?

℟. Illorum, qui ita cenſent, ſententiam flocci faciendam eſſe vel ex eo colligitur, quod vel ipſi Syri vulgaris textus Syriaci auctorem nequeunt deſignare. Vergerius enim lib. 3. contra Cardinalem Hoſium refert, ipſum petiiſſe a Moſe Meridinæo Syro Meſopotamiæ Sacerdote, quemnam arbitraretur primum Lingua Syriaca Novum Teſtamentum exaraſſe, & ab eo reſponſum tuliſſe, Verſionis illius auctorem apud Syros vulgo ignorari. Quomodo autem fieri potuit, ut D. Marcus totum Novum Teſtamentum in Syriacam Linguam transferret, cum triginta fere annis poſt Marci mortem D. Joannes Evangelium ſuum ſcripſerit, ſicuti Auctores graviſſimi D. Athanaſius, Hieronymus, Epiphanius, aliique teſtantur?

Digitized by Google

Quis uſus, & utilitas Verſionum Syriacarum?

℞. Verſionum Syriacarum uſus longe, lateque patet per Orientem apud Maronitas, Indos, Coptos, & Chriſti fideles inſulam Locotoram incolentes, adjectis Neſtorianis, & Jacobitis, quorum alteri Neſtorii hæreſim, alteri Eutychetis ejurarunt, & Romano Pontifici ſe ſubjecerunt. De fructu vero, & emolumento nihil attinet dicere, cum Sacrarum Scripturarum Interpreti ad illarum perfectam, abſolutamque cognitionem nihil eſſe poſſit utilius.

Cur D. Hieronymus Verſionis Syriacæ mentionem numquam facit?

℞. Aliis rationibus prætermiſſis, ea potiſſimum videtur eſſe cauſſa, quia Linguam Syriacam ignorabat; quod probatur ex eo, quia in Catalogo Scriptorum illuſtrium Eccleſiaſticorum Jacobum Niſibenæ urbis Perſarum Epiſcopum, & Ephrem, Archelaum, Bardeſanemque Scriptores Syros, cum nondum Græca Lingua donati eſſent, omiſit.

Verſio Syriaca convenit ne omnino cum Textu Hebraico?

℞. Licet Textus Hebraicus, & Verſio Syriaca pluribus vocibus, & phraſibus inter ſe conveniant, in nonnullis tamen inter ſe diſcrepant. In Verſione enim Syriaca ſubinde voces deſunt in Hebræo Textu exiſtentes, vel contra leguntur, quæ in Hebræo deſiderantur; nomina appellativa pro propriis vertuntur, & vice verſa; variæ ab Hebræo vocales aliquando vocabulis ſubjiciuntur; denique multæ voces majoris claritatis gratia a Syro Interprete adduntur, quæ in Hebræo Textu non extant.

Novum Teſtamentum Syriacum a quibus editum?

℞. Prima editio eſt Viennenſis *Vvidmanſtadiana* litteris Syriacis anno 1556: ſecunda Tremelliana Heidelbergæ litteris Hebraicis anno 1568, aut 1569: tertia *Plantiniana* litteris Hebraicis, & Syriacis: quarta pariter *Plantiniana* litteris Hebraicis anno 1575: quinta *Boderiana* litteris Hebraicis cum verſione Latina interlineari, Pariſiis anno 1584: ſexta *Hutteriana* Noribergæ litteris Hebraicis duobus voll. adjectis aliis undecim Linguis anno 1599: ſeptima *Troſtiana* cum verſione Latina, quam edidit Martinus Troſtius Cotenis Anhaltinorum anno 1621: octava *Pariſienſis* in Heptaplis Pariſienſibus anno 1645: nona *Anglicana* in Polyglottis Anglicanis Londini 1653: decima *Gutbiriana* Hamburgi anno 1664: undecima *Leuſdeniana*, & *Schaafiana* Lugduni Batavorum cum verſione Latina anno 1699. De eo autem, qui primus Novum Teſtamentum Syriacum in Latinam Linguam tranſtulit, variant Auctores; aliis eam laudem, & gloriam Emmanueli Tremellio tribuentibus, aliis

Digitized by Google

eamdem Guidoni Fabritio Boderiano concedentibus, qui Boderianus in Præfatione ad Lectorem ait, *in ſtudio hoc incredibilibus exantlatis laboribus, adeo ut bis in morbum ſummo cum vitæ diſcrimine inciderim, octodecim menſium ſpatio anno 1567. Novi Teſtamenti Syriaci Verſionem Latinam abſolvi*. Quare Genebrardus plagii Tremellium accuſat, quod Verſionem a Guidone Fabritio Boderiano confectam ſurripuerit, & fronte perfricta, ac pervicaci pro ſua venditarit.

Ullum ne diſcrimen inter has editiones intercedit?

℞. In aliis editionibus vocales omnino deſunt, in aliis ſunt conſonis adjectæ: in omnibus fere editionibus deſideratur hiſtoria adulteræ Joannis octavo, epiſtola ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Joannis, epiſtola Judæ, & Apocalypſis, excipe editionem Hutterianam, Anglicanam, & Gutbirianam.

DE MARONITIS.

Quo tempore Maro Abbas Maronitarum floruit?

℞. Maronem Abbatem pietate, & miraculis inſignem ſæculo quarto floruiſſe Auctores conſentiunt, quem Presbyterum, & Monachum fuiſſe Theodoretus in Philotheo cap. 16. aſſerit, ejuſque eximiam, admirandamque vivendi rationem eodem capite paucis ob oculos ponit. Ad eum D. Joannes Chryſoſtomus in exilio trigeſimam ſextam epiſtolam ſcripſit, qua ſe, ſuaque omnia ejus precibus enixe commendat. Ab hoc Abbate Maronitas originem traxiſſe, nemo eſt, qui ambigat. D. autem Hilarion omnium primus in Syriam Monachatum invexit, quem D. Hieronymus in ejuſdem vita ab Antonio edoctum aſſerit prope urbem Gazam perfectæ vitæ gymnaſium aperuiſſe, cum ante ipſum Monachi nomen in Syria ignotum eſſet. Poſt ipſum in Syria varii Monachorum cœtus floruerunt, inter quos præcipui Maronitæ, qui D. Maronis diſciplinam ſequentes variorum Hæreticorum conatus fregerunt, & inſignes de iis victorias reportarunt. Cæterum Eremitarum, ſeu Solitariorum inſtitutum in Syria probat Officium feriale Maronitarum ad Nonam feriæ ſextæ, in quo hæc habentur: ܘܕܘܟܪܢܐ ܕܟܠܗܘܢ ܥܠܝܡܐ ܘܒܬܘܠܐ ܘܡܩܕܫܬܐ ܘܕܟܠܗܘܢ ܢܟܦܐ ܘܨܝܡܐ ܘܕܝܪܝܐ ܘܝܚܝܕܝܐ ܐܒܝܠܐ ܘܡܚܒܫܐ ܘܡܣܟܢܐ ܕܪܘܚ h. e. *Commemoratio omnium Adoleſcentum, & Virginum, omniumque continentium, jejunantium, Monachorum, Solitariorum, mæſtorum, Eremitarum incluſorum, & pauperum ſpiritu;* de quibus etiam in aliis Officii locis mentio fit. Porro quamquam Lutherus neget in Epithalamio mulieribus Monachatum, eaſque ad matrimonium tantum-

modo creatas fronte perfricta afferat, hanc tamen opinionem præpoſteram refellunt Ritualia Chaldæorum, quæ ſunt antiquiſſima. In his enim ritus conſpiciuntur veſtiendi tum mares, tum fœminas, quorum tituli ſunt ܛܟܣܐ ܕܠܒܫܐ ܕܝ̈ܚܝܕܝܐ *ordo veſtitionis Monachorum*, & ܛܟܣܐ ܕܠܒܫܐ ܕܝ̈ܚܝܕܝܬܐ *ordo veſtitionis Monialium*.

Placetne Epiſtolam D. Joannis Chryſoſtomi ad Maronem Abbatem ſcriptam afferre, ut eos refellam, qui eam negant?

℞. Hac in re tibi libentiſſime morem gero, præſertim cum voluptate mirifica perfundar, quoties pietate, ac religione inſignes viros ſecum per epiſtolas colloquentes audio. Sic itaque D. Jo: Chryſoſtomus ad Maronem Presbyterum Monachum ſcribit. *Nos charitatis quidem, ac benevolentiæ vinculis tecum adſtringimur, ac te, ut hic præſentem, intuemur. Ejuſmodi quippe charitatis oculi ſunt, ut nec ullis viarum ſpatiis interrumpantur, nec temporis diuturnitate debilitentur. Cuperemus autem crebrius ad te litteras dare; verum quoniam id tum ob itineris difficultatem, tum ob eorum, qui iter faciunt, raritatem haud facile eſt, quoties licet, te ſalutamus, tibique illud ſignificamus, nos tui numquam non meminiſſe, teque in animo noſtro, quocunque tandem in loco ſimus, circumferre. Cura igitur tu quoque, ut de tua valetudine quam ſæpiſſime certiores fiamus, quo, licet corpore ſemoti, de tua valetudine ſubinde aliquid audientes, alacriore animo ſimus, ingentemque, etiam in ſolitudine ſedentes, conſolationem capiamus. Nec enim parva voluptate afficimur, cum te optime valere audimus: ante omnia autem illud te oro, ut pro nobis preces ad Deum adhibeas.*

Firmi ne, & conſtantes in Fide Catholica ſervanda Maronitæ ſemper fuerunt?

℞. Fidem, quam ab Apoſtolis acceperant, Maronitæ ſalvam, incolumem, incorruptam Maronis, ejuſque diſcipulorum aſſidua vigilantia, & cura omni tempore ſervarunt, licet totus fere Oriens ab eadem deſciſcere quodammodo viſus fuerit ob peſtiferos Macedonii, Apollinaris, aliorumque Hæreſiarcharum conatus, qui ante Neſtorium, & Eutychetem quacumque ratione Fidem Apoſtolicam in Oriente labefactare aggreſſi ſunt. Jure itaque non ſolum ipſe Abbas Maro, ſed ipſius etiam diſcipuli in Monaſteriis ab eodem conſtitutis degentes ab omnibus Syris Orientalibus Catholicæ fidei anteſignani, & firmiſſima adverſus ſuccreſcentes Hæreſes propugnacula dicti ſunt, ut ex Actis quintæ OEcumenicæ Synodi apertiſſime colligitur. Quam ſæva autem, & inhumana ab Acephalis, Severianis, Eutychianis, & Petri Gnaffei, h. e. *Fullonis* aſſeclis paſſi ſint, clarum, & locuples teſtimonium exhibet Martyrologium Romanum die 31. Julii, quo tercentorum, & quinquaginta Monachorum Maro-

Digitized by Google

ronitarum memoria celebratur, qui cruciatus quoslibet, & carnificinam pati, ipſamque potius vitam profundere maluerunt, quam avitam Catholicam Religionem deſerere. Hinc vero factum apud Syros, ut, qui ad prædictos Monachos, ne Hæreſibus inquinarentur, confugerunt, proprio, ac peculiari Maronitarum nomine vocati ſint. Licet autem multa Monaſteria in Syria a Maronitis erecta fuerint, illud tamen ſemper inter cætera eminuit, quod ipſi Divo Maroni dicatum fuit, inter Antiochiam, & Apameam, quod tamquam cæterorum Syriæ Monaſteriorum caput in quinta OEcumenica Synodo propter inſignem, & eximiam incolentium pietatem, ac religionem celebratur.

Quo alio nomine Maronitæ ſunt nuncupati?

℟. *Mardaitarum* nomen eis inditum, imperante Conſtantino Pogonato, a Verbo Syriaco ܡܪܕ *rebellavit* deſumptum. Cum enim incurſionibus aſſiduis a Saracenis vexarentur, parumque de eorum incolumitate ſollicitus Imperator videretur, uno conſenſu Duce ſibi electo, magna armatorum manu ſub ejuſdem auſpiciis Damaſcenam regionem ingreſſi Saracenos inde expulerunt, ſeque in libertatem vindicarunt. Poſtea Libani jugis occupatis, famaque diffuſa, maximum a Saracenis collectum exercitum adventare, jamque inter Biblum, & Botrin ad mare caſtra poſuiſſe, tanta alacritate in hoſtes irruperunt, ut poſt breve certamen eos in fugam conjecerint, coegerintque, ut ait Cedrenus ſub Conſtantino Pogonato, *terrore perculſos, cogitantes Romanum Imperium Divino præſidio defendi, legatos ad Conſtantinum pacis petendæ cauſſa mittere*. Jacobitæ etiam per contumeliam *Maroninos* a Joanne quodam Monacho Maronita quaſi altero Marone Jacobitarum Hæreticorum malleo eos appellarunt, quemadmodum nuncupat Ayto Armenus in Hiſtoriæ Orientalis Capite decimo quarto.

In quibus locis hoc tempore degunt Maronitæ?

℟. Eam Syriæ regionem Maronitæ hodie incolunt, quæ Phœnicia appellatur, eſtque tum in Sacris litteris, tum apud Hiſtoricos celeberrima. A mari mediterraneo Orientem verſus ultra montem Libanum, & Damaſcum uſque ad Arabiam deſertam extenditur. Ab Aquilone initium ſumit a fluvio Valania, ubi ſitum Caſtrum *Marghat*, ſeu *Margab*; porrigitur autem in longitudinem Auſtrum verſus ultra montem Carmelum uſque ad Caſtrum Peregrinorum, vulgo *Tartura* dictum. Dividunt eam Geographi in Libanicam, & Maritimam. Libanica ita nuncupata a monte Libano in ea ſito complectitur urbes Hieropolim, nunc *Baalbech*, Archim, vulgo *Arqa*, Paneam, ſeu Cæſaream Philippi, & Damaſcum hujus partis Phœniciæ caput. Maritima vero hoc nomine dicta, quia mari mediterraneo alluitur, Ptolomaidem, ſeu Acconem, Sidonem,

Digitized by Google

Beritum, Botrim, Tripolim, Antaradum, ſeu Tortoſam, & Tyrum regionis hujus caput comprehendit. Regionem autem utramque varia flumina a Libano, vel Antilibano ortum ducentia interluunt, nimirum Valania, Eleuterius, ſeu Litanis, Adon, ſeu Damur, Oron, ſeu Aaſi, Lycus, ſeu Kalb, Fons Hortorum, ſeu Qadiſcia, & Jordanus.

Quid habes de monte Libano?

℞. Libanus ad Orientem urbis Tripolis aſſurgens ea eſt altitudine, ac proceritate, ut, teſte Schoeffer in tractatu de Palæſtina, toto anni tempore ejus faſtigium procul aſpicientibus propter nives candidum appareat. De eo D. Hieronymus in Zachariam hæc habet. *Nihil Libano in terra promiſſionis excelſius eſt, nec nemoroſius, atque condenſius*. Addit etiam in Oſee cap. 14. Ejus arbores, *quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radices in ima demergere, ut nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant*. Hinc propter ejus fertilitatem, amœnitatemque magno ejus videndi deſiderio ſe teneri Moyſes profitebatur, quem tamen tantummodo procul e faſtigio montis Nebo ſpectare ei datum fuit. Brocardus autem ſcriptum reliquit, montes omnes in Palæſtina a Libano ad montes Galaad, & Hermon porrectos ſine diſcrimine eodem etiam Libani nomine nuncupari; reliquos vero ad Libani occidentem a fluvio Eleuterio verſus Tripolim inter Tyrum, & Sidonem ſitos Antilibanum dici. De cedro Libani paſſim in Sacris litteris, celebrata odorem ſuavem emittente, cariemque non patiente nihil attinet dicere præter id, quod a Steucho, aliiſque Interpretibus in Pſalm. 103. narratur, ſcilicet Hebræos ſentire, eam a Deo fuiſſe plantatam, idque eos inferre ex ejuſdem Pſalmi verbis, *& cedri Libani, quas plantavit*. Cæterum cum hic mons Libanus rebus omnibus ad delicias abundet, oleo, pecore, frugibus, ac volucribus, mirum non eſt, Genebrardum lib. 1. Chronicorum ad annum Mundi 235. aſſerere, primam Orbis urbem in monte Libano conſtructam fuiſſe, & cum eodem conſentire Adrichomium Delphum in Theatro Terræ Sanctæ pag. 4. n. 39. his verbis. *Enoch civitas omnium in toto Orbe prima, quam Cain in Libano monte ædificavit, muriſque communivit, atque ex nomine Enoch primogeniti ſui Enoch appellavit*. Hujus urbis meminit Moſes Geneſeos 4. vulgoque Arabes credunt, eam ſitam fuiſſe, ubi hodie oppidum *Ban* vocatum reperitur, cujus rudera adhuc ab incolis dicuntur مدينة الراس *Medinat Elras*, nimirum *Urbs Capitalis*.

Præter Phœniciam in aliis ne Imperii Turcici regionibus Maronitæ ſedem fixerunt?

℞. Cum multi ex Maronitis in montanis degentes nimis ſæva Turcarum Tyrannide premerentur, Phœnicia relicta, in alias Syriæ urbes migrarunt; & in Aleppo, Apamea, Laodicea, & Hieroſolymis proprias ſibi

Digitized by Google

ſibi ſedes conſtituerunt, ſericis præcipue veſtibus conficiendis vitæ, uſuique humano neceſſaria parantes. Cæterum nonnulli ex Maronitarum Magnatibus, ne Phœniciam defererent, in Druſorum regionem, & Keſruan ad Emirum ſe contulerunt, a quo benigne excepti eidem regioni gubernandæ ab eodem non ſemel præfecti ſunt. Capta etiam a Saladino Hieroſolyma, a Palæſtina, & Phœnicia alii fugientes in inſulam Cyprum appulerunt, ejuſque oppida, ac pagos adhuc incolunt, Syriacæque Linguæ decurſu temporis obliti Lingua Græca illius inſulæ incolis vernacula utuntur, in Sacris tamen obeundis, & Officiis Divinis recitandis Syriacam retinentes.

Quænam eſt Patriarchæ Maronitarum ſedes?

℞. Monaſterium Canobinenſe in Libano propria Patriarchæ ſedes eſt. Maronitarum Epiſcopi ex ſuo Collegio illum eligendi jus habent, cujus electioni conceditur nationis Magnatibus intereſſe, ut, ſi quæ forte contentiones oriantur, componere poſſint. Electum Summus Romanorum Pontifex confirmat, Pallio, ac reliquis Pontificalibus veſtibus cum Antiochenæ Eccleſiæ titulo ornat, proprioque nomini *Petri* nomen adjicit, ut Maronitæ honorem, ac reverentiam D. Petro Apoſtolorum Principi primo Antiochiæ Epiſcopo hac ratione exhibeant. Quinque Metropolitæ ei ſubjecti ſunt, Damaſcenus, Tripolitanus, Aleppenſis, Tyrienſis, Nicoſienſis in inſula Cypro, aliique Epiſcopi, Edenenſis, Accurenſis, Sidonenſis, Beritenſis, Botrienſis, Biblienſis, qui in controverſiis ſoli Patriarchæ ſubſunt tamquam Superiori, licet Suffraganei Metropolitarum ſint, quod in reliquis etiam Chriſtianis Orientis nationibus exacte ſervatur. In iis, quæ ad Fidem, ac Religionem ſpectant, eos in conſilium Patriarcha adhibet, & pro Eccleſiæ neceſſitate in omnes Syriæ urbes mittit, ut Fidelium gregi ſuppetias ferant.

Dantur ne Monachi, & Moniales apud Maronitas?

℞. Maronitæ Monachos ſuos habent ex Ordine D. Antonii Abbatis cucullo, & tunica nigra indutos, eoſque in pluribus Monaſteriis viventes, ex quibus antiquiſſimum in Libano ſitum dicitur *Quzhhaia* in *Giobbet Bſciarrai*. Cum duobus ad colligendas per Europam Eleemoſynas a Chriſti fidelibus ab ipſorum Abbate miſſis in urbe Patavina anno 1741. collocutus ſum, qui Arabica Lingua utentes ubi ſenſerunt, me Syriacam Linguam callere, ſummo gaudio perfuſi ſunt, lætitiæque ingentia ſigna ediderunt. In aliis Monaſteriis degunt Moniales ejuſdem Ordinis nulli clauſuræ ſubiectæ, præſertim in Keſruan, quarum potiſſimum, ac celeberrimum Monaſterium appellatur D. Joannis *de Hhraſc* a Maronitarum Patriarcha Antiocheno Joſepho Accurenſi a fundamentis erectum. Cujuſcunque ordinis viris, ac mulieribus apud Maronitas permittitur intereſſe tum interdiu, tum noctu recitationi Divinorum Officiorum. Habent autem præter Officium Feriale, & de Sanctis aliud proprium admo-

modum prolixum tempore Quadrageſimæ recitandum. Ante Quadrageſimam trium hebdomadarum ſpatio pro Defunctis preces effundunt. Prima hebdomada Sacerdotibus, aliiſque ex Clero eſt deſignata, altera Monachis, & Monialibus, tertia vero reliquis omnibus Defunctis.

Quando jejunium apud Maronitas ſervatur?

